

adscendunt, quo nostros elevavimus animos, ut sal-
lant certius, miscentes se spiritualibus cœptis, ausis,
instituti nostris, tanquam & ipsi *spiritualia malignita-
tis in cœlestibus* existentes, τὰ πνευματικὰ τῆς πορνείας ἐν
τοῖς ἐπαινετοῖς. Nimirum cum DEUS hominem crea-
verit, & lapsum restituerit, ut laudaret ipsum atque
celebraret; perpetuam ei istud etiam adversus com-
munes hostes faciendi voluit existere occasionem.
In faciem enim saltim, aut coram amicis aliquem lau-
dare, vulgare est; adversus inimicos autem atque ho-
stes virtutes alicujus & egregia facta confiteri ac ce-
lebrare, istud demum sinceri & generosi est pectoris.
Quantum libet igitur nihil ad nos pertineant & quæ
circa nos & quæ infra nos, ut ea quæramus, ut iis
studeamus, ut ea sapiamus, ut ipsis juvemur: cum ta-
men illa nos nostramque salutem eousque affecten-
tur, utique nos nostraque attinet cavere illa, repelle-
re, & ut hoc eò feliciter præstemus, ea noscere. Cera-
te felicior tibi lucta erit, ubi adversarii habitum, vi-
res & artes noveris. Omnium vero maxime inter-
est acerrimi nostri & astutissimi hostis fraudes atque
technas perspectas habere, quibus nos nunquam ces-
sat seducere, quo minus creatorem, redemptorem & re-
paratorē nostrum verbis factisque referamus & celebremus.
Earumque dubio procul nocentissimæ sunt, quæ
dum veritatis & sanctitatis speciem fulgent, minus vitan-
tur. Ita enim in *locu Angelum se transformans* satanas cœ-
lum quasi adscendit. Ita ἐν τοῖς ἐπαινετοῖς in rebus re-
gnum cœlorum spectantibus, doctrina salutari, Divi-
nis veritatibus, virtutibus speciosissimis & vita irre-
prehensibili insurgunt adversus nos τὰ πνευματικὰ τῆς
πορνείας. Ita in ipso DEI agro zizania serit adversari-
us, triticum adeo mentientia, ut ante messis tempus
dignosci omnia ac separari nequeant. Quæ confide-
rantes perspicimus utique ad nos omnes pertinere
nec

2 Cor. XI,
14. Eph.
VI, 12.

Matth. XIII,
29. 1.